



abt. m. 4 B.

1) Pfaffrad, C.  
2) Carpinus, B.

N. VI. 49.



I. N. J. A.  
INTRODUCTIONIS AD LOCOS  
Theolog. B. Chemnitii,  
DISPUTATIO VI.  
Ex quâ  
*De*  
SACRO-SANCTA  
TRINITATE,


*Præside*  
JOH-BENEDICTO CARPZOVV

SS. Theol. Licentiato, Profess. Publico, & ad  
D. Thomæ Ecclesiaste;

*Respondente*

M. THEOPHILO COLERO,  
ad D. Nicol. Concionat. Sabbath.

V. Apr. M. D C. III.  
disputabitur.



---

LIPSIÆ, STANNO HÖNIANO.

INTRODUCTIONIS AD LXXX

Theolog. B. C. Peccatum

DISPATIO 15.

Exordium

De

SACRO-SANGUINAT

ATRIUM

INTRODUCTIO QUIDAM

de Breviario Sacro-Breviario

## CAP. II.

De

Testimoniis & Fundamentis  
bujus Articuli.

I. Mysterium SS. Trinitatis longe supra omnem creaturarum captum positum est. Chemn.

pag. 79.

§. 1. Ratio enim non ignorat modò hoc mysterium, sed nec etiam comprehendere istud potest, etiamsi de illo ex revelatione audiat. Tota ergò ad mysterium hoc cœcutit, & nec possibilitas ejus ex ratione cognosci potest. V. Gerhard. in Exges. de Trinit. §. 23 seqq. D Klotz. Disp. VI. Theol. natur p. 374. ad 387.

§. 2. Ac proinde nec oppugnari nec probari ex ratione hoc mysterium potest. Quod enim ratio ignorat, de illo judicium sibi sumere neque debet neque potest, multo minus id negare.

§. 3. Quæienda ergò sunt testimonia divinæ patefactionis; illaque non tam numeranda quam ponderanda, ut tuto illis acquiescere conscientia possit in mysterio hōc semper & omni tempore omnibus ad salutem necessario. Quicunque enim vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quæ bæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in Unitate veneremur, prout Athanasiani Symboli Initium absq; crudelitatis nota, ei ab Arminianis hodiè inuri solita, istam necessitatem exponit.

II. Uti mysterium hoc revelatum est ab initio Ecclesiæ, ita etiam creditum fuit à tota Ecclesia inde usque ab initio. Chemn. p. 80.

§. 1. Non enim novum commentum est Nicenæ Synodi, sed perpetuò in Ecclesia, doctrina illa sonuit.

§. 2. Unde Veteres magnâ diligentia testimonia de Trinitate

A

tate

Disp. VI.

Respondente  
M. Theophili-  
lo Colero,  
Concionat.  
Sabbatlico.

tate ex Veteri Testamento colegerunt, non ostentationis gratiâ, sed ut contra hæreticos ostenderent, Deum semper ab initio ita se patefecisse, & Ecclesiam omnibus temporibus Deum ita agnoscisse, invocâsse & celebrâsse. In ambobus Testamentis Trinitas prædicatur scribit Hieron. ad Damascen. in Epist. quæ est CXLII, fol 118.

§. 3. Ut ut verò *testimonia Nov. Test.* clariora & evidentiora sint, & etiam talia nobis esse nō immeritò videantur; quam V. T. dicta; quia nunc Canonem habemus perfectum, nec Deus apparitionibus & sermone amplius de dogmatibus fidei ad nos loqui vult, sicut in Vet. Testam. & ita obscurius dicta aliâ revelationis specie collustrare: tamen ipsi objecto O credito nihil inde decedit, quod non minus in V. Testam. olim, ac hodiè in Nov. Test. plâ simplicitate ac fide apprehensum fuit, sed unum idemque *adæquatum* fidei *objectum* est credentium in V. ac N. T.

§. 4. Nihilominus in τριπλω μαρτυρίαις Christianæ seu Ordine Catecheses, maximè perspicua, firma & propria testimonia, qualia Nov. Test. suppeditat primô loco præmittenda sunt & postea demum alia ex Vet. Testam. utiliter addi debent, quæ per illa tanquam clariora & lucidiora illustrentur, quod notavit & ex Chemnitio probavit Gerb. in Exeg. de Trinit. §. 74.

III. *Testimonia de Trinitate ex Nov. T. suppeditat [i.] Revelatio Trium personarum in Baptismo Christi facta, Matth. III, 16. 17. Marc. I, 10. 11. Luc. III, 22. Job. I, 32. Chemn. p. 79.*

§. 1. Admirabilem non minus quam claram ac perspicuum esse θεοφανείαν hanc, cui similis non extet in tota Scriptura, nemo inficiabitur. Sed & hoc nemo negare debet, firmè & invictè hinc SS. Trinitatem à nobis probari & propugnari posse, contra omnes, qui hoc mysterium non negant modò, sed etiam impugnant, id quod unanimi consensu fecerunt Patres, quod primis de Epiphanio, Basilio & Nazianzeno manifestum est.

§. 2. Sic

§. 2 Sic autem inde argumentamur:  
 Prout sese verus & unus Deus revelavit, ita & est, & etiam cre-  
 di debet:  
 Verus & unus Deus in tribus personis realiter invicem distin-  
 ctis, sese revelavit:  
 E. Verus & unus Deus sunt tres personæ, realiter distinctæ, &  
 etiam ita credi debet.

*Majorem* nemo inficiabitur, cùm nitatur sine revelationis, & ut  
*Chemnitius* noster pag. 57. piè loquitur, de Deo non aliter sentien-  
 dum sit, quām sicut se nobis revelavit. *Minorem* impugnabunt  
 fortem *Adversarii*, quam tamen ita firmiter damus probatam:  
 Pater, Filius & Spiritus S. in tribus realiter ad se invicem di-  
 stinctis personis sese h̄ic revelavit:

Pater, Filius & Spiritus S. sunt unus verus Deus:  
 E. Unus verus Deus in tribus realiter ad invicem distinctis per-  
 sonis sese revelavit.

*Majorem* & *Minorem* hujus Prosylogismi nostri, ex visceri-  
 bus textus ostendimus ac probamus. Et quidem quantum ad  
*Majorem* attinet, quod scil. Pater, Filius & Spiritus S. in tribus  
 personis realiter ad invicem distinctis sese revelaverit, pro robo-  
 re ei conciliando firmamus hoc argumentum:

Quæ nomina ultimum subsistendi actum naturæ intelligentis  
 completere & incommunicabiliter habent, illa sunt tres per-  
 sonæ realiter ad invicem distinctæ:

Pater, Filius & Spiritus S. ultimum actum subsistendi naturæ  
 intelligentis completere & incommunicabiliter habent. Depre-  
 henditur hoc (1.) in *Patre*, qui hoc nomine implicitè, dum de se e-  
 nunciatur, quod habeat *Filium*, indicatur: peculiari *symbolo* voce  
 scil. audibili præsentatur: & ab operatione etiam distinctâ, mis-  
 sione scil. *Fili*, commendatur. (2.) In *Filio*, qui itidem nomine  
 relativo, *assumta carne*, & *susceptione* Baptismi distinguitur, & (3)  
 in *Spiritu S.* qui nomine *Spiritus* peculiariter ei tributo, quia Spi-  
 raculum *Jehovæ*, *Psal. XXXIII*, 6. *Ez. XI*, 8. 2. *Theff II*, 8. signatur:  
*symbolo columbinus* exhibetur: & *operatione*, *requiescentia* super  
*Christum* *Job. I. 33.* notatur.

E. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres realiter ad invicem distinctæ personæ.

Minorem verò Prosylogismi nostri: Patrem scil. Filium & Spiritum S. esse unum verum Deum, ut fulciamus, ex parte opus non est, cum de Patre nemo est qui ambigat, & adversarii etiam Spiritus S. non tam divinitatem, quam ejusdem personalitatem negent: Sed de Filio idem hōc invictō argumentō probamus:

Quicunque (1.) pro Messia declaratur (2.) Filius Dei Patris unigenitus, in quō fiducia debet poni, proclamatur, (3.) Spiritu S. baptisavit, ille est verus & unus Deus:

Christus stans in Jordane (1.) pro Messia declaratur, (2.) Filius Dei Patris unigenitus, in quō fiducia poni debet, proclamatur, (3.) Spiritu S. baptisavit:

E. Christus stans in Jordano est verus & unus Deus.

Hoc argumentum latius explicant ac vindicant D. Jacob. Martini l. II. de trib. Elobim, cap. 22. pag. 399. seqq. B. Gerhard. in Exeg. de Trin. p. 75. seqq.

I V. (2.) Testimonium quod SS. Trinitatis mysterium planum & perspicuum facit ac probat, est *Institutio nostri Baptismi*, Matth. XXIX, 19. Marc. XVI. Chemn. p. 79.

§. 1. Testimonii hujus tanta vis est, ut mallet etiam Satanus si posset, sub dubitationis aleam vocare, an sit genuina pars Scripturæ Sacrae? & Georgius quidem Blandrata Saliciensis professione Medicus in refutat. scripti Georgii Majoris lit. N. fol. 4. suppositum hunc textum esse voluit, qui forsitan ē margine in textum irrepsisset aut ab Athanasio vafre textui fuisset insertus. Sed gratulamur nobis de tanta hujus textus autoritate, ut ipsos Blandrata & socios etiam pudeat hujus atrocissimi & impudentissimi commenti, quod seriem & adamantium vinculum textus, totamque antiquitatem puram coatra fese concitavit.

§. 2. Duo autem sunt, quæ ex hac Baptismi nostri formula à Christo prescripta invictè probari possunt; Primum est Patris, Filii

Fili & Spiritus S. Deitas; Alterum, Patris, Filii & Spiritus S. distin-  
cta personalitas.

§. 3. Patrem, Filium & Spiritum S. esse unum verum Deum,  
ita probamus:

Quicunque Baptismum instituit, & in suo nomine eum ad-  
ministrare jussit, ille est verus Deus:

Pater, Filius & Spiritus Baptismum instituerunt, & in suo  
nomine administrare jusserunt:

E. Pater, Filius & Spiritus S. sunt verus & unus Deus.

Major solida & firma est. Ab ipso enim Christo Matth. XXI,  
25. & Johanne Baptista. Johan. I, 27. seqq. ostenditur, divinam au-  
toritatem ad institutionem Baptismi requiri, ut taceam; naturam  
Baptismi; qui est medium pervenienti in Dei gratiam, ita postu-  
lare, & impossibile esse, ut autoritate divinâ careat is, qui ejus-  
modi quid instituit.

Minor est in textu. Nomen enim Patris, Filii & Spiritus S.  
quod hōc locō unitatem & æqualitatem Essentiæ ac proprieta-  
tum Essentialium in his personis significat, etiam involvit Dei  
consilium, jussum, institutum, item ejus invocationem, gratosam  
operationem, remissionem peccatorum, donationem Spiritus S. &c.  
Sicuti id pluribus noster Gerhard. in Exeg. L. de Trin. §. 95. seqq.  
ostendit ac persequitur.

§. 4. Patrem autem Filium & Spiritum S. esse tres realiter  
distinctas personas non minus ex hac Baptismi formula manife-  
stum est. Et quidem luculenter id probat Epiphanius lib. II. con-  
tra hæres. fol. 231. ex Articulis Σεργίου in medio ad nomen Patris, Fi-  
lii & Spiritus S. positis. Ita nos ex textu pro reali & distincta per-  
sonalitate Patris, Filii & Spiritus S. argumentamur:

Quicunque (1.) habent distincta *nomina*, (2.) articulis διακρί-  
νομις notantur (3.) tales *actiones* taliaque *prædicata* participant,  
v. gr. mandare, invocari, recipere, &c. quæ propriè & verè non  
nisi personis distinctis tribui solent ac possunt, illi etiam reali-  
ter distinctæ sunt personæ:

Pater, Filius & Spiritus S. in textu nostro habent (1.) distin-  
cta *nomina* sc. Pater, Filius & Spiritus S. (2.) articulis διακρίνομις  
notantur, eis τὸ ὄνομα Σπαρτος, καὶ Σωκράτης καὶ αὐτὸς πρεσβυτέρος:

A 3

(3.) ha:

(3.) habent tales actiones & predicata, quæ non nisi distinctis personis tribui solent:

E. Pater, Filius & Spiritus S. sunt personæ etiam realiter distinctæ.

§. 5. Pulchra sunt Ignatii Patris antiquissimi verba, & digna, quorum hic recordemur. Ita autem ille in Epistola ad Philippenses: Non tres Patres, nec tres Filii, nec tres Paracleti, sed unus Pater, unus Filius & unus Spiritus S. Quare & Dominus mittens Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit illis, ut baptisarent in nomine Patris, Filii & Spiritus S. & de' eis Trinominiū, non in uuum Trinominem, & de' eis regis evanþewōnōnūtis, neg̃ int̃res incarnatos, & de' eis regis opotīus, sed in tres ejusdem honoris. Unus enim est homo factus, neg̃ Pater, neg̃ Paracletus, sed solus filius, non opinione, non φαντασίᾳ, sed reverā. Non minorem observantiam merentur Augustini verba, Patris ætate quidem, sed non judicii acuminis & eruditione inferioris, quando lib. I. question. l. V. ad Orosium quest. 5. ita testimonium nostrum exponit: Si Trinitas non esset (DEUS) nunquam Dominus noster Jesus Christus diceret discipulis suis, ite, baptisate omnes gentes in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, &c. Ubiq̃ explicationem hujus testimonii, ejusque vindicias vid. apud D. Jac. Martini l. II. de trib. Elobim. cap. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 223. seqq. ad 309. Gravuer in A. Conf. art. L. pag. 120. seqq. Gerhard. Exeg. de Trin. §. 85. ad 113. Brachmand. in art. de Trin. p. 116.

V. (3.) Testimonium pro asserendo S. mysterio Trinitatis, est promissio Christi Job. XIV. 16. 17. Chemn. p. 80.

§. I. Sicut distincta in Deo sunt Essentia unitas, & Patris, Filii ac Spiritus S. personalitas: ita etiam distincta sunt scripturæ testimonia, quibus utrumque hoc asseritur & probatur. Et præfens testimonium quidem à Chemnitio citatum, distinctam Patris Filii & Spiritus S. personalitatem probat, eoque fine allegatur. Sic enim inde colligitur:

Mit-

Mittens, rogans, & missas sunt distinctæ personæ:

Pater, Filius, & Spiritus S. sunt mittens, rogans & missus:

E. Pater, Filius & Spiritus S. sunt distinctæ personæ.

§. 2. Præterea part. ἄλλος Spiritui S. applicata à nobis merito, attenditur. Sicut enim nomen ἄλλο aliud alterius naturæ ac *Essentie* proprium est, atque ejusmodi naturarum diversitas eo significari solet; ita econtra ἄλλος alius, proprium personæ est, & distincta personalitas distinctæque personæ eō notari solent, id quod perpetuus Scripturæ S. usus comprobat. Hinc Nazianzenus Epist. I. πέρις Κληδόνων περὶ εορτήπερον fol. 312. edit. Basil. ἄλλο μὲν οὐ ἄλλο τὰ ἔχων Σωτῆρ, οὐκ ἄλλος καὶ ἄλλος, μηδένοιτο. Et Vincentius Lirinensis l. IV. adv. profan. vocum novit. In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud. In Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Ut proinde Noetio merito imposuerit ignorantia hujus discriminis, sicuti Epiph. ber. 57. refert de illo. Consultatur de hoc textu D. Jac. Martini l. II. de trib. Elob. cap. 32. § 33. pag. 312. seqq. ubi ab Objectionibus Smalcii eum vindicat. Item Gerb. in Exeg. de Trin. p. 103. seqq.

V I. Testimonia SS. Trinitatis & imprimis pluralitatis personarum, in V et. Testam. ubique obvia sunt ac varia, & in quatuor classes commode dividi possunt, quarum (1.) continet *Nominis* ὅντες significationem (2.) *Textus*, in quibus de Deo Deus loquitur (3.) *Ternam nominis Dei repetitionem* (4.) manifestam personarum in unitate *Essentiae distinctionem*.

VII. In Nominе plurali ὅντες Deo attributo, certò ostenditur pluralitas personarum, Chemnit. pag. 81.

§. 1. Nomen סִנְאַת est plurale sicut terminatio ejus comprobatur, & non caret singulari, ut quidem Gajetanus sentit citatus à Six.

à Sixto Sen. Biblioib. l.V. ann. I. p.411. sed omnino istum habet non quidem אלהים ut Lombardus l.1. dist.2. & Vasquez. in prim. part. Thom. disp. 108. c.2. volunt, sed אלהים quod multoties in scriptura legitur, Job. IV, 9. 17. Ps XIX, 32. Hab. III, 3. &c. Hinc Aben Ezra in c. i. Gen. recte commentatur: Postquam invenimus אלהים scimus quod אלהים est plura is numeri. Notandum autem de eo est, quod de Deo usurpatum, non habeat in aliis linguis terminum simplicem, qui ipsi respondeat.

§. 2. Non autem terminatione seu formatione vel flexione tantum, sed & significatione ac sensu plurale est nomen hoc, quando de Deo usurpatur, uti ex constructione ista liquet, quâ conjugitur cum Verbo in singulari numero Gen. I, 14. II, 2. IV, 25. V, 1. 22. VI, 12, 22. VII, 16. IIX, 1. IX, 1. 6. 8. 12. 16. 17. 26, 27. XVII, 3. 7. 8. 9. 15. 18. 22. &c. & cum Pronomine in singulari numero אלהים קדושים בָּם הַנָּא יְהוָה Josuæ. XXIV, 19. הַנָּא אֱלֹהִים בָּם וּמְלֹא קָדְשׁוֹ יְהוָה Jerem. X, 10. nunc verò cum Verbo in plurali numero flexo, ut Genes. XX, 13. XXXV, 7. 2. Sam. VII, 23. Et sicut priore constructione unà cum pluralitate personarum unitas Essentiæ: ita posteriore explicatiùs personarum pluralitas significatur, & caute non ad ipsam Essentiam, sed personas pluralitas hæc refertur.

§. 3. Ipse Deus hunc pluralis numeri usum & significatum voce אלהים indicatum satis evidenter explicat Gen. I, 26. & c. III, 2. XI, 7. Et VI, 8. ubi non tantum in priori loco ostendit, quâ ratione אלהים distinctionem admittat, Ecce Adam voluit esse qualius unus ex אלהים id est, personis divinis, sed in posterioribus etiam per Verbum Plurale FACIA MUS & Pronomen NOSTRAM pluralem significatum vocis אלהים exponit ac illustrat. V. Disput. B. Hopfneri de Nominibus Dei Aphor. VI. Can V. D. Jac. Mart. I. I. de tribus Elohim, cap. 3. 4. 5. 6. pag. 5. seqq. B. Meisnerus in part. II. Philos. Sobriæ sect. I. cap. 3. quest. I. pag. 375. seqq. Crines. in disp. IV. Exercitat. part. I. pag. 45. seqq. Helvicus in Vindic. Loc. Vet. Test. pag. 30 seqq. B. Gerhard. de Trinit. §. III. seqq. Glass. in l. III. Phil. Sacr. pag. 86. & in disput. I. Χειρολογ. Mosaic. quest. 2. D. Walther. in Spicileg. & in Spongia Moys. Orac. I. p. 1. & seqq.

IX. Ubi-

VI. Ubicunque in Scripturâ Deus loquitur de  
Deo tanquam persona de persona, ibi significan-  
tur tres personæ Divinitatis. Chemn. p. 82.

S. I. Observatio hæc Lutberi est, quam tot verbis ex l. de  
ult. verbis Davidis, allegat Chemnitius noster, & ad textus citatos  
Genes. XIX, 24. Ose. I, 7. Esai. LX, 19. applicat. Manifestò enim  
hisce textibus pluralitas personarum insinuatur, & nec nudum  
augens nomen alterum nomen נָחַם: est, quo pluviae aut salutis præ-  
stantia significetur; nec pro relativō, more Ebræis familiari pon-  
tur; quæ perversitas interpretationis non Photinianorum modò,  
sed & Calvinianorum nonnullorum est: Nulla enim prorsus ratio-  
ne id contextus admittit, qui manifestè tūm causam efficientem  
nomine נָחַם: significatam insinuat, tūm mitteniem à misso distin-  
guic. In Nov. Testam. parallela loca Joban. V, 19. 2. Timoth. I, 18.  
. Ec. aperto huic sensui lumen fœnerantur, quod ab antiquis-  
simis Patribus Irenæo l. III, cap. 5. fol 175. Justino in Dial. cum Tryph.  
fol. 215. & in Concilio Syrmensi, referente Socrate l. II. H. Ec. 25. fol.  
257. agnitus fuit.

257. agnitu*m* fuit.  
§. 2. Duabus autem ita nominatis personis in Scriptura, si-  
mul tertiam personam, Spiritum S. significari, benè Latberus in  
Observatione suâ porrò annotavit. Nimirum ipsam Scripturam sa-  
cram, quæ talia refert, debemus Spiritui Sancto, qui elocutus est  
illam, juxta textus à Chemnitio allegatos. Sicut igitur in omni-  
bus paginis Spiritu Sanct. apertissima vestigia deprehendimus  
& deveneramus, ita & merito ejus, ceu tertiae in Sacra Trinitate  
personæ piè ac devote recordamur, quoties de Patre ac Filio  
legimus in Scriptura. V. D. Jacob. Martini l. I. de trib. Elohim. à  
cap. VII. usque ad cap. XXV. pag. à 73. ad 280. B. Gerbard. in Exeg.  
de Trin. §. 152. seqq.

VII. Terna etiam repetitio nominis Dei in una  
sententia, manifestum indicium & argumentum  
SS. Trinitatis est. Chemn. p. 82.

§. 1. Textus, quos Chemnitius allegat, sunt *Psal. LXVII. 8. Esai. VI. 3. Num. VI. 23. Jerem. XXXIII. 22.* Plures ab aliis citari solent, V. Gerhard. *Tom. I. Loc. de Trinitat. §. 12. & in Tom. II. Dispp. disput. de Benedict. Ecclesiast. Num VI. §. 53. seqq. p. 1190. seq.*

§. 2. Non verò sine causa ac fundamento *Orthodoxi* hæc loca observârunt, quod viderunt Spiritum S. non frustrâ ita attemperasse Stylum suum. Id quod unâ cum ipsis, Veneranda Antiquitas agnoscit; Et in hanc usque horam, nullam assignate potuerunt causam Anti-Trinitatii ternæ repetitionis nominis Jehova in hisce sententiis. Etsi enim *Hebreis* non infrequens est vocum repetitio in sententia una eademque, uti observavit post alios *Glossus l. III. Philol. sac. pag. 14. seqq.* tamen terna repetitio vocis **אֱלֹהִים**, **שָׁנְתָס**, in allegatis locis, aliquid in recessu habet; & si nuda perfectio indicaretur, querendum esset, cur nō sepius repeteretur, cum & septenarius numerus vulgo pro perfecto habeatur numero. Consulatur *Dn. D. Jac. Martin. l. II. de trib. Elohim. c. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXIX. & XXXIX. pag. 334. seq. Dn. D. Wilhelm. Lyserus in Disput. de Trisagio Angel. lib. 17. seqq.*

**IIX.** Manifesta tandem distinctio personarum in una Essentia divina insinuatur, ubi *mittens* & *missus*, *suscitans* & *suscitatus*, *gignens* & *genitus*, *Exaudiens*, & *is propter quem exaudire debet &c.* tot verbis significantur. *Chemn. p. 83.*

§. 1. Textus sunt *Exod. XXIII. 20. 21. Jerem. XXXII. 5. 9. XXXIII. 15. 16. Daniel. IX. 1. 9. Psal. II. 7. Psal. CX. 1. 3. 5.* qui omnes extra dubium de verò Deo enunciant & discrimen annotatum manifestè produnt.

§. 2. Et cum Virtutibus ac potentiis Dei ista enunciata non competant, ac de iisdem *mitti*, *gigni*, *suscitari*, &c. neutiquam enunciari queat; cum personarum hæc propria sint & maneant: Omnidè personarum in una Dei Essentia discrimen omnibus illis textibus asseritur ac probatur.

§. §. Præ

§. 3. Præ cœteris autem meretur observationem textus ex Psal. XXXIII, 6. à Chemnitio pag. 83. citatus, qui tot verbis sanctam Trinitatem, & Omnes tres personas enunciat. V. Gerhard. in Exeg. de Trinit. §. 127. & Dn. D. Wellerus part. I. Anti-Masson. p. 383. seqq. ad 394. Et Pater quidem significatur nomine <sup>πατη</sup> quod hoc loco personaliter sumitur, expressè à Verbo & Spiritu oris ejus distinguitur: Filius voce <sup>υνη</sup> quia est <sup>υνη</sup> Verbum non sui ipius aut Spiritus S. sed solius Patris, hoc nomine alias etiam insignitus 1. Sam. III, 21. 2. Samuel. VII, 20. 1. Chron. XVII, 18. 19. & apud Chaldaum Paraphrastem: Spiritus Sanct. verò nomine suo relativo proprio. Et si historia Creationis & parallela loca Joh. I. & Col. I. adjungaatur, non potest non mens illustrata, adsentiri omni illi, quod de mysterio hoc SS. Trinitatis Ecclesia confitetur, quicquid sit de ejusdem impervestigabilitate.

### CAP. III.

#### *Certaminibus.*

I. Ab initio Ecclesiæ articulus de SS. Trinitate suos habuit hostes, qui tanto mysterio derogârunt.

§. Ut enim cætera Satanae propudia Simonem Magum, Saturnianos &c. taceamus; dum Ebion & Cerinthos in primo seculo; Carpocrates, Artemon item & Byzantius in secundo, Filii divinitatem impugnarunt, quid eo aliud fecerunt, quam quod convulserint mysterium hoc? cum impossibile sit, ut negata divinitate Filii, integer maneat SS. Trinitatis articulus.

II. In tertio autem seculo exorti sunt, qui aper-  
tè SS. Trinitati contradixerunt, & discrimen rea-

B 2 letri-

le trium personarum in una Dei Essentia, impugna-  
verunt. Chemn. p. 84.

§. 1. Fecit hoc Praxeas primùm in Africa, ut Augustinus testa-  
tur, deinde in Italia Roma, ut Tertullianus notavit. Hic circa annum  
Domini CC. ut Chemnitius numerat, id est, seculo secundo ad finem  
vergente & sub initium tertii seculi, in quod à plerisque etiam re-  
fertur, docuit, Unam esse personam Divinitatis, quæ tria haberet no-  
mina, & nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus S. appellaretur. Refu-  
tatus autem fuit à Tertulliano peculiari libro, in cuius cap. 2. f. 494.  
Edit. Franck. provocat ad Regulam, quæ ab initio Evangelii de-  
currerit, & unitatem in Trinitatem disposuerit, Patrem, Filium  
& Spiritum Sanctum.

§. 2. Sicut Coætaneum, ita & οὐοΦηφον habuit NOETUM  
(potius Anoetum, id est, stolidum, appellandum, uti ad nomen al-  
ludit Epiphanius contra her. l. 2. Tom. I. her. 57. fol. 216.) qui ante E-  
piphanius tempus centum triginta plus minus annis existens, pro-  
sus eundem esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum in carne  
natū & passum statuit, ut Augustinus heres. XXXVI. refert. Et à bea-  
tis Ecclesiæ presbyteris interrogatus & examinatus, primò qui-  
dem simulavit errorem, postea verò palam confessus fuit ac dixit:  
Quid male feci? unum Deum glorifico, unum novi & non aliud præ-  
ter ipsum, genitum, passum & mortuum. Tandem ex Ecclesia  
ejectus paulò post misere perit, uti Epiphanius citatō loco refert,  
& ex Epiphanio Cent. III. Magdeb. Histor. c. XI. f. 291.

§. 3. Secutus hosce est Sabellius (unde ejus sectatores Pra-  
xeani & Noëtiani dicti fuerunt) Pentapolitanus Afer, qui ut Theo-  
doret. l. i. heret. fabul. fol. 971. Edit. Paris. fol. 971. refert, docuit, Pa-  
tem, Filium & Spiritum Sanctum esse unam hypostasin & unam perso-  
nam, quæ tria habeat nomina, & eundem aliquando quidem vocari ut  
Patrem aliquando autem ut Filium, aliquando verò ut Spiritum S.  
Videatur Epiphanius qui heres. LXII lib. II. Tom. I. fol. 230. edit.  
Basil. ita recitat: Docet hic (Sabellius) & qui ab ipso Sabelliani  
appellantur, eundem esse Patrem & eundem Filium & eundem Spir-  
itum Sanctum: ut sint in una Essentia tres nomenclatura. Theodore. l.  
alleg.

alleg. addit refutatum fuisse Sabellium à Dionysio Alexandrino, ex quô etiam de tempore, quô vixerit, judicari potest. V. Cent. III. Histor. Magd. cap. XI fol. 294.

§. 4. Et omnes hi, quia docuerunt ipsum Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, inde Patri-passianorum & Theopaschitarum nomen sortiti fuerunt, de quo Epiphan. l. alleg. & Augustinus ad Quod vult Deum heres. XLI. videatur.

§. 5. Proximè ad hos accessit Paulus Samosatenus, ita appellatus à Samosata, civitate celebri in ripis Euphratis in Mesopotamia Syriæ sita, qui surrogatus in Episcopatum Antiochenum Sabellii heresin interpolavit, & insuper Artemonis heresin revocavit, ut Epiphan. heres. L X V . fol. 273. refert, & ex illo Centur. III. Magd. cap. 5. fol. 108. Non autem tantum personarum differentiam in Deo impugnavit, & docuit, in Deo semper esse ipsius Verbum & Spiritum ipsius, quomodo in hominis corde est proprium Verbum. εἰς εἰσιν ὁ Ιησος. εἰς χι πατὴρ ὁ πατὴρ, καὶ Ἰησος ὁ υἱος, καὶ ἀγιον πνεῦμα τὸ ἀγιον πνεῦμα, αὶ λλὰ εἰς Ιησος ὁ πατὴρ οὐχί ὁ ιησος αὐτὸς ἐν αὐτῷ, οὐδὲ ἡ ιησος ἐν αὐτῷ πάντω. Unus est Deus, nec Pater est Pater (id est, genuit Filium) nec Filius est Filius (id est genitus à Patre) nec Spiritus S. est Spiritus S. (id est procedit) sed Pater est unus Deus, & Filius ejus est in ipso, sicut Verbum in homine: Sed etiam insuper ex Christo nudum hominem fecit, qui initium suum ex Maria sumserit, & ex prefectu quodam, divinitatem. Vid. Epiphan. l. all. Philastrius in heres. cap. LXIV. p. 28. Augustin. heres. XLIV. Et hoc est, quod noster Chemnitius ait, eum propriè & principaliter contra personam Filii Dei pugnasse.

III. Quamvis hæreses circa articulum de Trinitate paulatim se se confecerunt, tamen in superiori seculo, Michael Servetus Hispanus blasphemiam, quæ tertium seculum ita exercuerat, ex orco revocavit. Chemn. p. 85.

§. 1. In quarto quidem seculo, Photinus Episcopus Sirmiensis non Samosateni tantum errorem instauravit, quod Augustinus heret. XLIV. illi tribuit; sed etiam Sabellii heresim tenuit, uti Theodoreetus l. i. heret. fabul. fol. 971. eidem id tribuit, utrumq; verò & Samosatenianismum scilicet, & Sabellianismum Socrates l. II. Hist. Eccles. cap. 24. fol. 256. Verùm ut Theodoreetus l. II. heret. fabul. f. 971. de suâ ætate, quæ in quintum seculum incidit, nobis refert, ne parvæ reliquæ quidem supermanserunt, sed omnia hæc portenta tenebris oblivionis tradita fuerunt, ita Deo singulariter de SS. Trinitatis mysterio providente ac disponente. Quicquid etiam in seqq. seculis Satanæ molitus circa dogma hoc fuit, imprimis in seculo VII. XI. & XII. per Tritheitas, id vel in paucis saltem terminavit, vel in radice sua intercidit statim.

§. 2. Ast in seculo preced. XVI. Michaëlem Servetum, monachum hominis Satanæ excitavit, qui antiquas blasphemias ex orco revocavit, & libros septem de erroribus Trinitatis circa tempus edita Aug. Confess. 1531. scripsit, (non in Scholis Lutheranorum, quod quidem Bellarminus Tom. I. in prefat. Contr. 2. general. de CHRISTO fol. 58. per calumniam eructat, quam Gregor de Valent. auget, dum Tom. I fol. 145. Servetum Ubiquistarum Magistrum ac prodromum nominat; sed in Academias Mahometicis in Numinia institutus,) in quibus omnem distinctionem personarum in Deo sustulit, & non nisi unam personam asseruit, quæ alio atque alio modo sese generi humano repræsentaret. Historiam Serveti prolixius recenset Chemnitius ex Calvinio, qui integrum librum 1553. de Serveto scripsit. V. etiam lib. XI. totus, Catalog. hereticorum Schlusselburgii & Ostandri Centur. XVI. l. 2. cap. 21. pag. 204. seqq.

§. 3. Nactus Servetus socios, hinc inde sparsit horrenda sua dogmata, & foetus ejus adhuc in Polonia, Transylvani & Lithuania adhuc superest, quem tristivultu & non levicordolio Ecclesia Christi contuetur in illis, qui hodiè Photiniani & Sociniani audiunt; Ac vel hoc nomine singultus etiam dicit profundos, quod Germani homines ad ista deliria se trahi fuerint passi, Johannes Sommerus Pirnensis, Johannes Volkelius Grimensis, Christophorus Ostor.

Osterrodus Goslariensis, Valentinus Schmalcius Gotbamus, & alii  
quamplurimi omnes in eo consentientes, unam tantum Divinitatis  
esse personam.

### LOCUS IV.

#### DEO P A T R E.

I. *Pater* est prima persona Divinitatis non  
genita neque procedens, sed quæ ab æterno ge-  
nuit filium imaginem sui, creans, sustentans, con-  
servans & gubernans universa, visibilia & invisi-  
bilia, Angelos & homines, cum Filio & Spiritu  
Sancto, mittens Filium Redemptorem & Spiritum  
Sanct. Sanctificatorem. Chemn. p. 107.

§. Hæc descriptio omnia sufficienter habet, quæ de Deo  
Patre sciri debent & possunt. Notatur (1.) singulare *Individuum*  
in *Essentia divina* per se subsistens. (2.) additur *characteristica*,  
*proprietas* tamen *externa* quam *interna*; & (3.) *beneficia*, quibus sese  
peculiariter in Ecclesia revelavit, subjunguntur.

II. Patris vocabulum in hōc Locō sumitur  
únicozatimōs & personaliter, in relatione ad Filium,  
& ratione operis ad intra, quia ab æterno gignit  
Filiū, quomodo sola prima persona est Pater.  
Chemnit. pag. 103.

§. Aliás quando in relatione ad *Creaturas* & ratione *operum*  
ad extra nomen hoc spectatur, tunc *essentialiter* sumitur, & toti  
SS. Trinitati, omnibusque personis commune est; Sicut & in  
*Oratione Dominicana* nomen *Patris* & *essentialiter*, & etiam *personaliter*

liter accipi potest, prout vel ad totam Trinitatem in Invocatione respiciatur, vel ad beneficia cujusque personæ propria. Vid. Gerhard. Tom. I. de Deo patre §. 8. pag. 390. In Exeg. de Nat. & attr. Dei §. 102. Gravver. art. I. A. C. p. 100.

### III. Est autem Pater prima persona Divinitatis, Chemn. l. all.

§. 1. Neque obstat Athanasii regula, à Chemnitio pag. 104. citata: *Nihil in Trinitate est prius aut posterior*. Non enim intelligitur hīc prioritas Essentialis, de quā Athanasius loquitur, quā Deus refertur ad creaturas, quæ productæ sunt à Deo in tempore & sunt Deo posteriores; Omnia enim personarū hæc primitas est, & non tantum Pater, sed etiam Filius & Spiritus S. sunt Deus primus & novissimus, quia unum sunt Essentialia, quæ in primam, secundam & tertiam Essentialiam dividi non potest, Ef. XLIII, 10. Sed personalis, quæ solius Patris est, & à modo habendi Essentialiam in sinu deitatis, pendet, Vid. suprà Loc. de Trin. cap. I. Theor. IV. § 6.

§. 2. Non autem nudi ordinis tantum, sed & Originis prioritatem, primitas hæc Patris involvit. Videatur B. Gravver. artic. I. Aug. Confess. pag. 195. & Joh. de Rada Controvers. V. inter Thomam & Scotum, super I. libr. Sent. part. I pag. 88. Pater enim à nullō habet essentialiam suam, Filius verò eam per generationem, & Spiritus S. per processionem illam habet. Unde & Patres quidam Patrem *auto* Deo appellârunt, quia non tantum ipse Deus sit, sicut Filius & Spiritus S., sed etiam à se ipso Deus, de quo legi potest Gerh. T. I. L. Th. de Deo Patre & Filio §. 179. p. 537. in Exeg. L. de Persona & Offic. Christi. §. 67. pag. 1191. in Isagog. Disputat. XI, cap. V, §. 16. pag. 355. B. Meissner. part. II. Phil. S. br. sect. 1, c. 2 q. 2. p. 284.

§. 3. Hæc tamen Origo absque ullâ temporis, vel naturæ, vel dignitatis prioritate est, & nullam dependentiam importat, cum illud propriè ab alio dependere dicatur, quod est effectum à suâ causâ productum, à quâ essentialiter distinguitur, qualiter Filius & Spiritus Sanctus à Patre non sunt. Unde Johannes de Rada l. alleg. verè scribit: *In divinis non est ordo naturæ Essentialis dependentia*

pendentia. Et probat: quia dependentia, ut dicit Scottus, est coextensio  
nem unius ad aliud in alteritate nature. In divinis vero non est al-  
teritas naturae. Una enim eadem numero est trium personarum na-  
tura. Ergo ibi non potest esse dependentia, ac per consequens, nec priori-  
tas naturae essentialis dependentia. Factum hinc est, ut etiam si Latini  
Patres Patrem dixerint principium Filii, & Patrem ac Filium  
principium Spiritus S. caute tamen abstinuerint a termino princi-  
piati, & noluerint hoc nomine insigne Filium ac Spiritum S.  
Sed ita saltem circumscriperint, quod Filius Et Spiritus S. habe-  
rent principium productionis & essent principium de principio; Ut vel  
sic etiam naturae ac dignitatis & temporis prioritatem exclude-  
rent, & saltem communicationem Essentiae significarent, quam Pater  
per generationem Filio, & Pater & Filius per spirationem Spiri-  
tui S. ita Essentiam suam communicaverunt, ut illa ipsa Essentia,  
quae est in Patre, tanquam in principio producente Filium, tota sit in  
Filio, & quae est in Patre & Filio, tanquam in principio producente  
Spiritum S. tota sit in Spiritu S. per simplicitatem & indivisibili-  
tatem essentiae divinae.

#### IV. Proprietas seu Characteris personalis internus est generatio activa. Cbemn. p. 106.

§. 1. Hæc Generatio non Metaphorica est, sed propria, ut latè  
id probat ac defendit B. Gravv, Disp. III qq. illust. quest. VI. p. 27 seqq.  
Et per hanc generationem Pater est Pater, quatenus Filius essentiam  
suam numero eandem communicavit eà ratione & modo, ut ab hac  
communicatione dicatur Pater, sicut secunda persona à passiva com-  
municatione dicitur filius. Proabant hunc Characterem non modo  
Ps. II, 7. cum parallelo suo Ebr. I, 5. sed etiam omnia illa dicta, in  
quibus Prima persona vocatur Pater Domini nostri Jesu Christi  
Eph. I, 3. 14. id est natu& genit., Joh. V, 18. In omnibus enim hisce locis vo-  
cabulum Patis sumitur personaliter, quod latè deducit B. Gerb.  
cap. CLXXX. Harm. Contin. p. 1351 seqq.

§. 2. Ad hunc Characterem notam etiam pertinet Modus ba-  
bendi Essentiam, ubi Pater eam habet αγανάκτως innascibiliter & à  
nullo alio; sed an αγανάκται ipse etiam Character personalis nomi-  
nari possit, à nonnullis ambigitur, tūm quia originem, per quam

personæ constituuntur, non ponat, sed tantum negat, tūm quia Pater nō ideo Pater sit, quia nō ab alio est, sed quia ab ipso aliis est.

§. 3. Hinc Scholastici distinguunt inter *notiones personales*, & inter *Characteres personales*. *Notio personalis*, ipsis ratio eit, per quam personæ divinæ cognoscuntur, tanquam ab intra distinctæ: *Character autem personalis* est, per quem una ac altera constituitur. *Notionum quinq[ue] sunt*: *Innascibilitas*, *generatio activa*, *generatio passiva*, *spiratio activa* & *spiratio passiva*: *Proprietatum vero tres tantum*: *Parernitas* seu *generatio activa*, *filiatio seu generatio passiva*, & *processio seu spiratio passiva*. Videatur Beccanus Tract. II Theol. Schol. c. VII q. i. N. 1, f. 121. Forbesius l. 1. c. XXXV. Instruct. Histor. Th. N. 18 f. 66. Johan. de Rada Controv. Theol. inter Thomam & Scotum part. I Controv. XXV p. 388 seqq.

§. 4. Et omnino videtur non carere suo tām fundamento, quām usū distinctio hæc: Nam in colligendo numero personarum Deitatis, non respiciendum est ad *Notiones* earumq[ue] *numerum*, sed ad *Characteres* sive modos constitutivos personarum, ex quibus unicè de numero personarum judicandum est. Totenim sunt personæ, quot characteres personales, non quot *Notiones* sunt. Si autem juxta numerum *Notionum* deberet colligi personarum divinarum numerus; quinque numerandæ essent personæ.

### V. Proprietas characteristicæ Patris externa, in Opere ad extra relativè erga omnes creaturas spe Etato est Creatio. Chemn. p. 107.

§. 1. Ita in *Symbolo Apostolico* Patri tribuitur illa, & quidem ut *character externus*, non tantum quia Pater per Creationem maximè innotuit, sed etiam, quia secundum quid *soli Patri* per modum *appropriationis* ut Scholastici loquuntur, competit.

2. Etsi enim Filius & Spiritus S. non excludantur à creatione (Chemn p. 98.) tamen secundum quid, & quoad potentiam creandi, soli Patri ea tribuitur. Nam tū Una numero quidē potentia est, per quam Pater, Filius & Spiritus S. creārunt mundū, sed Modus habendi istam potentiam non ex equo se habet. Pater enim solus à se facit & potest facere omnia: Filius autem à se non potest facere quicquam. Job. V, 19. sed potentiam divinam faciendi opera quæcunque, ab altero.

no

III.

no accepit per generationem; Spiritus S. verò eandem potentiam creandi habet & accepit à Patre & Filio per spirationem æternam seu processionem ineffabilem. Et ita *Creatio*, citra modum habendi potentiam creandi, spectata, Opus ad extra est, & omnibus tribus personis commune, ac Pater, Filius & Spiritus S. sunt *Unus Creator*: Quando verò potentia cum certo modo habendi consideratur, tunc per appropriationem Patri in *Symbolo Apostolico* illa adscribitur, quia solus Pater hanc potentiam habet à se ipso, non à Filio ac Spiritu Sancto.

§. 3. Et hoc *Scriptura* ipsa etiam significat. Quando enim Creationem Tribus in Deitate Personis assignat, tunc modum loquendi peculiarem usurpat, & EX, IN ac PER Deum omnia esse testatur, Rom. XI, 36. Chemn. p. 283.

§. 4. Thomas part I qu. XV. a. VI. hoc optimè explicat, cuius verba digna sunt, quæ hic referamus: *Sicut natura divina, inquit, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit;* in quantum Filius accipit naturam divinam à Patre, & Spiritus S. ab utroq.; ita etiam & Virtus creandi, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit. Nam Filius habet eam à Patre, & Spiritus S. ab utroque. Unde Creatorem esse attribuitur Patri, ut ei, qui non habet Virtutem creandi ab alio: De Filio autem dicitur: per quem omnia facta sunt, in quantu habet eandem Virtutem, sed ab alio. Nam hoc Propositio PER solet denotare causam medium sive principium de principio. Sed Spiritui S. qui habet eandem Virtutem ab utroq. attribuitur, quod dominando gubernet & vivificet, quæ sunt creatæ à Patre per Filium.

VI. Character externus Patris, in Operæ ad extra relativè erga Ecclesiam considerato, est Missio Filii & Spiritus S. Chemn. p. 107.

§ 1. Pater Venire quidem dicitur, sed nunquam dicitur mitti. Semper autem dicitur mittere Filium & Spiritum S. Unde rectè Augustinus l. II. de Trin. c. V. scribit: Pater solus nusquam legitur missus. Ita Gal. IV, 4. dicitur: Deum misisse Filium suum, & v. 6. Spiritum

enm Filii sui. Ac Filius dicitur δούλος Ebr. III, 1. & Angelus Iehova Exod. III, 20. Malach. III, 1. & à Patre in mundum egressus, Iohann. XVI, 28.

§. 2. Hinc licet ratione decreti, bene placiti & effectus in tempore, Missio sit Opus ad Extra omnibus tribus personis Commune; tamen si Originaliter spectatur cum Origine & Ordine personæ, quæmittitur, est divisum & soli Patri competit, uti Dn. Doct. Fevverbornius id exponit Disput. II. Fascic. V. tb. 41. seq pag. 61. seqq. & latè explicat. Ex Scholasticis videri potest Fr. Suarez in Comment. in p. I. Thom. l. XII. sub initium & Beccan. in Tract. II. Theol. Sch. cap. IX. tot. f. 128. seqq.

§. 3. Hæc autem missio, ut Cyrilli Regula benè monet, non tollit equalitatem personarum. Quod Missionem Filii attinet, pro diversitate naturæ diversimodè etiam is mittitur. Nam secundum humanam naturam per modum imperii quidem mittitur, cui etiam lubentissime obedit secundum eandem naturam, ut est Ps. XL. Ecce venio &c. sed secundum divinam naturam aliter se missio hæc habet, ubi non per modum imperii mittitur, ut Angelus, Luc. I, 19. 26. aut per consilium, uti inferior à superiore instruitur ac mittitur, sed per mutuum consensum propter æqualem majestatem, quam cum Patre habet Filius; id quod eleganter ac prolixè Dn. Fevverborn disput. I. Fasc. V. tb. 20 p. II usq; ad 24. exposuit, ostendendo tūm quid Missio hæc non sit, tūm quid illa sit.

§. 4. Et taliter etiam cum Missione Spiritus S. quâ à Patre & Filio mittitur, est comparatum. Non enim is per imperium aut consilium, quorum prius subjectionem, posterius verò ignorantiam, in missio supponit, mittitur, sed per consensum mutuum, quantum scil. non modò ratione originis suæ à Patre & Filio est ac procedit, sed etiam ex voluntate Patris ac Filii consensu mutuo in Ecclesia appetet, & ibi operatur.

OS(O)SC

AB 42 3  
i, 9


VOA7



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



AD LOCOS  
nitii,  
O VI.

CTA  
ATE,

CARPZOVV  
. Publico, & ad  
;

COLERO,  
. Sabbath.  
L.

NIANO.